



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Articulus I. Qui obligentur ad Horas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

DUBIUM II.

De Horis Canonicis.

ARTICULUS I.

Qui obligentur ad Horas.

“**R**esp. I. Clerici majorum Ordinum, etiam suspenſi, excommunicati, degradati, tenentur, tum jure Eccleſiaſtico, tum generali conſuetudine Eccleſiæ.

“ Dixi, *majorum Ordinum*: quia minorum, non tantum non ad Horas, ſed neque ad pſalmum Miſerere tenentur, quem, vel ſimile quid, cum Epico- pus primam tonſuram conferens injungit, non videtur obligare, niſi ut vel tantum fiat aliquoties, vel per modum conſilii. *Leſſ. l. 2. c. 37. d. 9. Vnde reſolvuntur hi Caſus.*

“ I. Tenetur ad Horas, qui cum diſpenſatione Pa- pæ duxit uxorem, niſi in hoc ipſo ſit diſpenſatum; quia diſpenſatio, utpote odioſa, ſtriçtè eſt explican- da; & ipſe characterem retinet. *Bon. & Azor. T. 1. l. 10. c. 5. q. 5.* contra alios.

“ II. Clericus incipit obligari à puncto Subdia- conatus ſuſcepti: & quidem ad Horas reſponden- tes horæ, quâ ordinatur. *Bon. tr. de Horis q. 1. p. 5. ex communi.*

“ **R**esp. II. Omnes Religioſi profeſſi, ad chorum deſtinati, utriuſque ſexûs, obligantur ad Horas, idque ex antiqua & recepta conſuetudine: quam tamen quidam, ut *Aragonius*, putant non obligare tam ſtriçtè, ut peccent mortaliter, ſi bis terve o- mittant. Et de Monialibus dubitat *Cajetan. Me- din. Armil. Dia. p. 2. t. 2. R. 17.* imò eas (atque adeo omnes

omnes Religiosos sacris non initiatos) non teneri sub onere peccati, absolute, sed nimis laxè, docet *Petrus Marchan.* apud *Dia. p. 9. t. 6. R. 7.* contra aliorum communem & veram sententiam, quæ docet, teneri secundum suas regulas & consuetudines, *Bon. q. 2. p. 2. n. 5. ex Azor. Less. Maldero, &c. Unde resolves.*

I. Non tenentur ad Horas, 1. Novitii. 2. Conversi. 3. Religiosi Societatis JESU, militares, hospitalarii, & cæteri Choro non destinati. *Trul. l. 1. c. 7. d. 12. §. 1. n. 5.*

II. Is qui ex una Religione transit in aliam, in qua non est hæc consuetudo, non tenetur; quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta, ita *Suar. & Lay.* Idem dic de Religioso ejecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium; quia etsi maneat Religiosus, non tamen regularis, ita probabiliter *Sotus, Sanch. Bon. n. 4. &c. contra Suar.*

Resp. III. Beneficiati, quotquot habent jus in re, & plenum dominium Beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad Horas. *Less & Lay. l. 4. t. 2. c. 4. n. 1. ex communi ex Concil. Lateranensi sub Leone X.* Ratio, quia Beneficium datur propter officium. *Unde resolves,*

I. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint. *Lay. c. 5. n. 3.* quia non habent beneficium secundum omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. *Trul. l. c.*

II. Tenerur is, qui etsi (sive sine sive cum sua culpa) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem, quæ sufficit ad sustentationem. *Bon. q. 6. p. 3.*

III. Tenentur ii, qui primo, aut etiam secundo
 anno non percipiunt fructus, eò quòd assignentur
 fabricæ, vel prædecessori mortuo, quia etiam ipsi
 mortui fruuntur eodem privilegio, & sic pro to-
 ta vita satisfaciunt fabricæ. *Bon. p. 4. n. 22. Lay. c.*
5. Suar. Regin. &c. Contraria tamen sententia
 non est improbabilis & negat *Less.* cum *Caj.* se ta-
 lem damnaturum, eò quòd vel resignare, vel mo-
 ri antè possit, & sic non frui anno gratiæ. *Lay. l. c.*
Palans tr. 7. disp. 2. punct. 1. §. 2. n. 19. Trul. d.
13. §. 3.

IV. Tenentur & ii, qui habent Beneficium te-
 nue, octo v. g. vel decem aureorum, quia jura
 omnibus indistinctè obligationem Horarum im-
 ponunt, sicut iis, qui sunt in majoribus Ordini-
 bus, ita probabiliter. *Sylv. Azor. Suar. Palans,*
n. 9. Bon. q. 2. p. 4. n. 17. & comm. contra Sotum,
Less. Rod. & Dia. p. 2. tr. 12. R. 9. Mald. qui di-
 cunt, si habet Beneficium tam tenue, ut tertiam
 partem mediocris sustentationis alicujus Clerici
 non adæquent, non teneri, v. *Dia. l. c. Esc. 1. 5.*
E. 7. c. 13. quorum sententiam non damno, v.
Trul. d. 12. §. 5. ubi notat eum, qui habet plura
 Beneficia tenuia, ex quibus competentiam habeat,
 teneri ad Horas.

V. Non excusatur, qui primis annis parum
 recipit, eò quòd fructus expendat in substitutum,
 quia Horarum onus beneficio annexum est perso-
 nale, cum quo sponte acceptatur. *Bon. l. c. ex Az.*
to. 1. l. 10. c. 4. q. 4. Vasq. Fil. &c.

VI. Si filius à patre coactus ad statum Ecclesia-
 sticum, percipiat ipse fructus, tenetur ad Horas;
 secus, si percipiat pater: hic verò ad restitutionem
 obligatur. *Lay. n. 2. ex Less. l. 2. c. 34. dub. 31.*
n. 174.

VII. Probabile est, eum qui non refidet ex legitima licentia vel dispensatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad Horas, quia obligatio hæc est propter sustentationem datam. *Trull. d. 13. §. 3. ex Sanch. &c.*

VIII. Non tenentur, qui habent præstimonia, (quæ solent dari adolescentibus, in subsidium studiorum) eò quòd non sint propriè dicta beneficia, ita *Medin. Garc. & Less. contra Nav. Sotum & Rodriq.* rectè tamen monet *Lay. n. 6.* considerandam rationem præstimoniorum; Quòd si enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse Beneficia Ecclesiastica, proindeque obligare ad Horas: secus, si consistant in solo temporali obsequio: Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint propriè dicta Beneficia, ut *dubio preced.* videri potest: Quod limitat. *Escob. t. 5. E. 6. c. 3. ex Palao, l. c. n. 6.*, si fruantur pensione ob secularia obsequia; secus, si titulo Clericali. Denique, neque tenetur Coadjutor, si non administrat, quia obligatio tenet proprietarium. *Palao, n. 7. Escob. l. c. v. Lay. n. 9.*

IX. Etsi habens plura beneficia satisfaciat unicà recitatione Horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, seu Patroni beneficiorum; quia par est omnium ratio. *Bon. Trull. n. 27.*

A D D E N D A.

Q. 187. Quid præterea notandum sit circa eos, qui tenentur ad Horas. R. Seqq.

§. I. Qui ordinatur, tenetur istà die saltem ad

Vesperas & Completorium, uti contra *Neuff. & Leand.* apud *Dianam* p. 10. t. II. R. 16. docent communiter omnes. Tenetur autem incipere orare eam Horam, quæ in choro tum dicenda esset, *Az. Stoꝝ.* l. 1. p. 3. n. 401. Quod si ordinetur horâ undecimâ, non tenetur eo die orare Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, sed potest incipere à Sexta, *Castrop. Gob.* in Exp. t. 5. n. 561.; imò probabile est cum *Bonart.* teneri tantum recitare à Vesperis, quia in choro eoufque recitatae sunt Horæ. Quod si recitaris ante susceptionem Ordinis, probabilius videtur cum *Bonac. Castrop. & Stoꝝ* te obligari iterum orare, quia non satisfit per solutionem factam antequam sit obligatio, nisi specialis conventio interveniat, tamen etiam probabiliter satisfactum esse dicunt *Lugo, Tamb.* in Decal. l. 2. c. 5. §. 5. n. 9. *Gob.* supra, *Trull.* apud *Dian.* p. 6. t. 6. R. 38., quia est veluti anticipata solutio debiti certò prævisi & in propinquo obligaturi, unde etiam censeri potest jam moraliter adesse, & fieri posse solutionem illius.

1188 §. II. Dubitans, an rectè sit ordinatus, secundum *Tamb.* l. 1. c. 3. §. 7. v. *Ordo*, non tenetur orare, quia certa libertas non orandi, quæ fuit ante susceptum Ordinem, videtur possidere contra obligationem, quæ ab Ordine deberet provenisse, ergo cum tantum sit dubia, videtur cedere certæ possessioni libertatis. Huic rationi non fidit *Gob.* t. 8. à n. 203., unde videtur dicendum, si in aliis rebus habeat se pro ordinato, etiam teneri orare, maximè quia in dubio est præsumptio pro valore actûs sive Ordinis suscepti.

1189 §. III. Religiosos choristas, sive choro deputatos, tam viros quàm foeminas non teneri sub mortali ad Horas Canonicas privatim recitandas, si absint à choro, docuerunt plures apud *Mendo* d. 7. q. 2. &

1. & apud *Gob. t. 5. à n. 659.*, quam sententiam probabilem esse dixerunt *Rodriq. Borden. Caram. Less.* in auct. v. *Hora Canonica*, cas. 14., nam non teneri ratione professionis præcisè, docent *Caj. Arm. Med. Ledesin.* & alii cum *Sanch.* in *Conf. l. 7. c. 2. d. 3. n. 5.*, alioquin etiam Fratres & Sorores laicæ tenerentur, quod negat sententia communis cum *Sanch. n. 13.*; An autem teneantur ratione consuetudinis, non est adeo exploratum, uti fatentur *Caj. Arm. Palac.* & alii apud *Sanch. n. 4.*; Nihilominus teneri ex universali consuetudine docent cum communi *Sanch. n. 6. Tamb. l. 2. c. 5. §. 1. n. 13. Busenb.* suprâ, & quidem ab hora emissæ professionis, uti notat *Stoz*, ita ut *Regin.* opinionem contrariam vocet temerariam, *Sanch.* non probabilem, *Diana* prorsus improbandam: notant tamen etiam rectè *AA. cum Sanch. & Ills. t. 5. n. 37.* attendenda esse statuta & receptam consuetudinem in quovis Ordine. An verò professus ad chorum possit transire ad statum laici & sic non obligari ad Horas, dubium est; negant *Nav. Portel.* & alii, sed probabilius affirmant *Sanch. Tamb. n. 15. Mendo n. 16.*, quia esse adscriptum choro non oritur ex professione, sed ex voluntate professi & Prælati, ergo his consentientibus potest fieri mutatio statûs, & consequenter obligationis illi annexæ: Eremitas autem non teneri ad Horas fati certum est cum *Sanch. n. 11.*, cum nec sint Clerici nec deputati choro.

§. IV. *Burgh. cent. 3. cas. 22.* putat Moniales per bellum Monasterio expulsas non obligari ad Horas, 1. quia Religiosus fugitivus aut ejectus non obligatur, ergo nec Monialis ejecta per bellum. 2. Quia multi docent nequidem in Monasterio obligari sub mortali. 3. Quia etiam docent multi nullum Religiosum non constitutum in Sacris obligari, si sit ex-

tra Monasterium. Oppositum absolute tenendum est cum *Suar.* de Horis c. 17. n. 9. *Castrop.* t. 7. d. 2. p. 1. §. 3. n. 5. & plerisque aliis, quia manent Religiosæ, Religiosi autem tenentur, uti dictum est n. 1189. De fugitivis & ejectis dicitur n. 1191. De Canonessis dictum est n. 232.

1191 §. V. *Busenb.* supra dicit Religiosos ejectos aut cum dispensatione extra Monasterium habitantes non teneri ad Horas: idem dicunt alii de Religiosis fugitivis, quia licet maneant Religiosi, constituuntur in statu, in quo non est consuetudo recitandi: sed merito contradicunt, saltem de fugitivis, *Nav. Suar. Az. Less. Laym. Fill. Castrop.* n. 5. Quoad ejectos autem docet *Sanch.* d. 4. si per ipsos stet, quominus iterum admittantur, teneri, quia culpa nemini debet suffragari; si per ipsos non stet, fatetur cum *Soto Less. Philiarch., Sa, Sayr. Henriq.* contra *Nav. Rodrig. Az. Castrop.* non teneri. Addit autem cum *Nav.* & aliis dispensatum ad habitandum extra Monasterium teneri, non aliter ac si manens in Monasterio dispensaretur à choro, nisi simul dispensatus esset in aliquo voto Religionis, v. g. ut posset uxorem ducere, tunc enim mutaret statum.

1192 §. VI. Beneficiatus non satisfacit, si non oret per seipsum, sed per alium, uti dicitur n. 1228. Et quidem tenetur orare beneficiatus, quamvis animum haberet non percipiendi fructus, sed dandi pauperibus, quia obligatio recitandi est imposita absolute & antecedenter ad obligationem restituendi, quæ sequitur velut pœna tantum, uti pluribus evincit *Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 6. An & quando resignans aut resignatarius teneatur ad Horas, dictum est n. 964.

1193 §. VII. Si quis injustè privetur fructibus sine spe eos recuperandi, putat cum aliis *Bonac.* de Horis d.

1. q. 2.

1. q. 2. p. 4. n. 25. teneri ad Horas, alii probabilius dicunt teneri, si habeat spem emolumentorum fundatam in titulo præfenti, uti innuit *Lugo* d. 5. n. 12., & ideo dicunt *Suar.* c. 20. n. 10. & 11. *Lugo* d. 6. n. 5. aliique, si beneficiarius non percipiat fructus hoc anno, adhuc teneri, ob spem percipiendi fructus annorum subsequentium, quæ spes est pretio æstimabilis, & cum titulo ac possessione sufficit, ut obliget ad officium. Etiam ille tenetur orare, qui acceptat beneficium cum onere per aliquot annos solvendi resignatario omnes fructus pro pensione: similiter, qui habet beneficium, cujus fructus non percipit, quia non residet, quia per ipsum stat, quominus percipiat, *Suar.* n. 12. *Lugo* n. 4. & alii. Limitant *Sanch.* & *Busenb.* suprâ, nisi absit cum licentia & dispensatione, v. g. in studiis, quod *Gob.* in app. post n. 596. cas. 1. dicit probabile esse, sed hanc limitationem merito rejiciunt *Az.* & *Tamb.* c. 5. §. 1. n. 23., quia habet beneficium & jus ac potestatem percipiendi fructus, si velit.

§. VIII. Canonici, qui ad dissolvenda debita olim contracta debent per 4. vel 5. primos annos carere fructibus, non tenentur orare secundum *Gob.* n. 585.; si tamen post mortem hæredes eorum participent fructus unius anni, tenentur etiam uno anno orare, priusquam participent fructus, uti rectè *Castrop.* §. 2. n. 13., quamvis de hac praxi dicat sæcum ratione dubitare *Gob.* n. 576.; & *Laym.* l. 4. T. 2. c. 5. n. 4. dicit probabile esse, quod non teneantur, præsertim ubi est talis consuetudo non orandi; sed non video, quid excuset, nam fructus respondentes tempori, quo possederunt, re ipsa percipiunt, & in vita possunt disponere de iis post mortem percipiendis. Quod si aliquis sit nimis juvenis, ideoque debeat fructus cedere alteri deservienti pro se, tenetur

1194

tur orare, quia quòd non percipiat, non est defectus beneficii, sed ipsius, *Castrop.* n. 10. *Gob.* n. 577.

1195

§. IX. Si beneficium initio fuerit pingue, sed successu temporis reddatur tenue, vel casu vel malitiâ alterius, ita ut non afferat tertiam partem sustentationis, etiamsi per unum vel alterum tantum annum duret cum spe plenorum postea fructuum, aliqui cum *Castrop.* n. 18. & *Gob.* supra dicunt pro eo tempore non teneri ad Horas, sed contradicunt *Suar.* & alii, quia retinet jus ad meliores fructus proximo tempore, & tempus unum compensatur per alterum: si tamen beneficium esset factum tenue sine spe meliorationis, *Tamb.* n. 26. non obligat, quia tunc nec habet fructus nec jus utile ad illos. *Suar.* c. 21. n. 10. dicit indubitatum esse, quòd ille, qui accipit quintam partem, & reliquum relinquit deservienti, teneatur orare, quia beneficium respectu ipsius est tale, ac si nullum haberet servitium adjunctum, si autem sit tale, docet n. 9. non posse moraliter habere tam tenues fructus, quin obligetur ad recitandum. Quòd si essent servitia annexa, quæ ipse expleret, & beneficium non afferret fructus sufficientes pro tertia vel quarta parte sustentationis, censet n. 11. esse valde probabile & securum, quòd non obliget ad recitationem. Addit *Platel.* p. 3. n. 826. licet tenuitas beneficii non omnino excuset ab Horis, cum beneficium sit propter officium, quod sæpe non est aliud, quàm recitatio Horarum, probabiliter posse esse tam tenue, ut solum obliget ad eas aliquoties in septimana recitandas, v. g. Dominicis & Festis, uti juxta *Less.* de Just. l. 2. c. 34. n. 169., si non excedat 15. aut 16. aureos: item juxta varios, si non attingat tertiam partem moderatæ sustentationis, quam si attingat, inducit obligationem quotidianæ recitationis; & ita censent DD. communifimè,

Amè, quia hoc est conforme tum sensui Ecclesiæ simpliciter præcipientis omnibus beneficiatis recitationem Horarum, tum intentioni Fundatorum rationabiliter præsumptæ, quâ censentur hoc onus imposuisse possessori beneficii à se fundati, qui si non velit subire, illud dimittat, non enim deerunt, qui sub illo onere beneficium acceptent. Ita ille.

§. X. Quandonam fructus beneficii dicantur esse ita tennes, ut non inducant obligationem recitandi, præter jam dicta refert varias sententias *Moya* t. I. tr. 2. d. 2. q. 4. Quando autem dubitatur de tenuitate sufficiente ad excusandum, *Cayam.* dicit non esse obligationem recitandi, quia libertas est in possessione, quæ ligari non debet per supervenientem obligationem incertam: *Vasq.* dicit esse obligationem, quia certus est se habere beneficium, ergo possidet certitudo beneficii, cui semper adjuncta est obligatio recitandi, tenuitas autem, quæ deberet excusare, est incerta: *Tamb.* l. I. c. 3. §. 7. v. *beneficiarius.* n. 2. dicit utrumque esse probabile; sententia tamen *Vasq.* est absolutè probabilior & tenenda.

1196

§. XI. Qui habet Capellaniam laicam tantum, id est, erectam sine auctoritate Episcopi, & quam laici conferunt, vi illius non tenetur ad Horas, *Castrop.* *Tamb.* Similiter qui invalidè accepit beneficium, non tenetur ad Horas, quia non habet titulum beneficii, & quamvis oret, non facit fructus suos, *Tamb.*

1197

§. XII. Si fundatio habeat, *volo, ut proximus de sanguine presentetur, quamvis septem annorum, dummodo Clericus, ita tamen ut ante annum 12. non obligetur ad Horas, potest Episcopus approbare, secundum dicta n. 808.; nec talis tenebitur ad Horas ante annum 12.*

1198

§. XIII. *Palac. Thyrecr. Sot. Paris.* & alii docent, si lis moveatur post titulum collatum sed ante captam

1199

captam possessionem beneficii, non esse obligationem recitandi; hinc si neuter litigantium possideat, neutrum obligari dicunt *Suar. c. 19. à n. 7 Fill. r. 23. c. 5. n. 159. Bonac. supra, Castrop. n. 25. Tamb. l. 2. c. 5. §. 1. n. 31.* alique communiter contra *Nay. & Sanch. in Conf. l. 2. c. 2. d. 76. n. 6.*, qui putant etiam sine possessione esse obligationem, quia habito titulo plenè habetur beneficium, secundùm dicta n. 450. Ratio priorum est, quia uterque non obligatur, cùm uni beneficio respondeat unum tantùm onus orandi; nec ratio est, cur unus teneatur præ altero. Quòd si lis moveatur post possessionem beneficii, hunc, qui possidet, obligari, tenet communis cum *Bonac. supra: consentit Castrop. n. 24.*, si beneficium administret & speret moraliter certò fructus saltem servitio respondentem sibi esse applicandos: consentiunt etiam *Lugo dub. 5. n. 12. Tamb. n. 29.*, si vel fructus percipiat, vel spes eos evincendi sit moraliter certa, aut si interim percipiat emolumentum intuitu beneficii, nam spes certa moraliter æquivaleret possessioni pacificæ, cùm æquè secuturi sint fructus, & qui sentit emolumentum etiam debet sentire onus, unde talis habet se saltem sicuti ille, qui beneficio deserviret etiam ad Commendam temporalem tantùm, quem, si fructus percipiat, teneri ad Horas docent *Suar. c. 22. n. 14. Bonac. n. 2. Lugo supra*, quia subrogatur loco beneficiarii cum tota ejus obligatione. E contra si ita possideat, ut tamen ob litem sequestrentur omnes fructus applicandi illi, qui vincet, ipse autem dubitet de successu litis, neque per eum stet, quominus feratur sententia, non teneri putant multi cum *Tamb. n. 30.*, nec audet hoc reprobare *Lugo n. 14.*, quamvis nihil absolutè asserat, quia nemo debet obligari ad onus certum propter mercedem incertam.

ram. *Nec obstat*, quòd Parochus teneatur, v. g. ad administranda Sacramenta, quamvis ejus possessio ab initio sit dubia, nam hæc onera sunt magis intrinseca beneficio curato, adeoque videtur se voluisse ad hæc obligare etiam pendente lite, ut censeri possit inhærere beneficio, onus autem Horarum est extrinsecè annexum ab Ecclesia & ob causam separari potest. Quòd si beneficiarius, qui non recitavit horas, postea evincat litem, fructus omnes sequestrati sunt ipsius, *Lugo* n. 5. contra *Salas*, qui dicit posse quidem inde solvere expensas litis, sed reliquum debere impendi pauperibus vel piæ causæ, quia non oravit Horas; sed ratio *Lugonis* est, quia obligatio restituendi imposita est ut pœna ob culpam omissæ recitationis, uti ex communi probat *Lugo* n. 6., hic autem nulla præcessit culpa, quia non peccavit omittendo pendente lite, uti dictum est, unde sicuti beneficiarius justè percipit fructus à tempore vacationis beneficii vel saltem collationis, quo necdum ceperat neque per culpam suam distulerat possessionem, quo tamen tempore non orabat, ita multò magis postea percipere poterit fructus beneficii, cujus possessionem habuit.

§. XIV. Tenentur ad Horas etiam illi, per se loquendo, qui solum personatum habent, (de quo n. 226. dictum) quia ita declaravit *Pius V.* in Bulla, *Ex proximo Lateranensi*, ubi sic habet, *declaran- tes præstimonia, præstimoniales portiones & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendendi*, nempe cum illis, quos antè dixerat certò obligari: & nunc dubitare non licet, inquit *Suar.* n. 10. De præstimoniis videri potest *Busenb.* Resp. 3. Resol. 8.

1200